



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De humilitate ad nosipsos. Cap. XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

**Humilitas**  
**sanctorum**

Hæc est humilitas sanctorum & magnorum, qui quanto maiores se vident, tâto magis humiliant se in omnibus quæ habent, totum redentes illi à quo totum habent: quia furti reus est, qui sibi aliquid retinet de his, quæ sibi comodata sunt invito Domino, cum ipse dicat, *1sa. 42. 8* Gloriam meam alteri non dabo. Profectum nobis libenter communicat in donis suis, sed gloriam sibi seruat. Quod autem non sumus, similiter monet nos humiliari: quia vana & inanis gloria est, extolli de eo quod non est, velut si lutum gloriatur se esse aurum, & nanus iactet se esse gigantem, & mendicus credat se esse regem, & Aethiops niue candidiorem. *Apoc. 3. 17* Apoc. Dicis quia dives sum, & nullus egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Hæc humilitas est pauperum & imperfectorum, qui considerata sua inopia & imperfectione, in cõparatione sublimitatis aliorum resiliunt in se, & ex iudicio veritatis sibi metipsis vilescunt. Sic Dominus nos cæcos natos, per nostri ignorantiam, illuminat, lutum vnde facti sumus liniendo super oculos nostros: vt primò incipiamus nos ipsos agnoscere, deinde ipsum illuminatorem nostrum credendo proni adorare. Ex luto visum recipit, qui ex conditionis propriæ fragilitate seipsum humiliatus agnoscit.

*De humilitate ad nos ipsos.*

CAP. XXX.

**T**RIPlicem verò humilitatem habere debemus. Humiles enim esse debemus in nobis, humiles ad proximum, & humiles ad Deum. In nobis debemus esse humiles, nosmetipsos ex consideratione propriæ vitæ despiciendo: vt omnia quæ in nobis despiciabilia

bilis agnoscimus, tam in naturalibus defectibus quàm fortuitis, & maximè culpabilibus & vitiosis diligenter attendamus, vt ex eorum intuitu apud nos humiliemur. Secundò in nobis simus humiles, mores & gestus humiles habendo, & verba humilia & responsa. Vnde *Pf. 34, 14* David, Quasi lugens & cōtristatus, sic humiliabar. Tertiò, vt in humilibus obsequiis, operibus, & officiis nosmetipsos exerceamus, in quibus apparet vilitas, & quæ alij horrent & despiciunt: vt fordes purgare, rusticalia opera facere, & vestibus vilioribus contentos esse, & cibis & aliis similibus. Vnde David, *Ludam 1. Reg. 6, 24* & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.

*De humilitate ad proximum.*

CAP. XXXI.

**A**D proximum debemus esse humiles. Primò, meliores & digniores ipsos nobis reputando, nō eos despiciendo vel temerè iudicando. Vnde Apostolus ad Philippenses, *Hu- phil. 2, 3* militate superiores sibi inuicem arbitantes. Secundò, honore exteriori inuicem præuenientes, reuerendo, inclinādo, locum primum vbiq̃ præbendo, non eis detrahēdo, sed obediendo, obsequendo, promouēdo: & eos apud cæteros exaltare, & facta eorum commendare, laudare, & extollere, dum modo bona sint, & mala eorum tegere non fictè sed purè. Tertiò, patienter eorum infirma opera tolerare, & læsiones sustinere, si quas inferunt nobis, & malum pro malo non reddere: nec odiū, nec iurgia, nec clamores contra eos exercere, & correptiones eorum patienter recipere. *Psal. 34, 13* Psalm. Cùm mihi molesti essent, humiliabam animam meam. Item proximorum alij (unt æquales